

Jus succedendi excluditur. Interim id facile admittimus, in Saxonia annum, & diem addi. *Carpz. P. II. C. 50. D. 5. 6. Conf. Cap. XI. §. 4.* Cæterum cum successione nondum delata non possit agere agnatus, vel simultanee investitus, palam est, præscriptionem & proximiori, & si hic jus suum neglexerit, remotiori non currere, nisi a tempore delatæ successio- nis. Quod argumentum latius exequitur *Struv. Cap. XIII. § 18. ibique Dn. B. a Lynk. Carpz. II. 50. 6.* In El. Saxonia, cum feudum illicite sine domini consensu alienatum, statim simultanee in- vestito deferatur juxta *Const. XLVIII. P. II.* non dubito, quin hoc casu tempus præscriptionis inchoetur ab alienatio- ne perfecta. *Carpz. P. II. C. 48. D. 14.* De remediis aliis, quibus agnato, vel simultanee investito contra alienantem consu- litur, agit *Resp. XIII. App. II.*

Monendus est B.L. §. illum, qui hoc Cap. sub N. XI. errore typothetæ positus p. 496. XII. esse, & post XI. pag. 498. locum occupare debere.

CAPUT XXI.

DE OBLIGATIONE FEUDALI EX QUASI CONTRACTU.

I.

Connexio. **V**idimus hætenus obligationem feudisticam. quate-
tenus ex consensu vero, sive expresso, sive tacito fuit.
Nunc quoniam ductum viri illustris ulterius sequi
constitutum est, de illa etiam paulisper dispiciamus obligatio-
ne, quæ ex præsumta conventionem descendit. Non male
hanc dici putamus quasi contractum. Nam licet Jure Ju-
stiniano hæc quasi contractus species cognita haud sit, ni-
hil tamen vetat, quo minus moribus, vel jure novo scripto
potu-